

**Oratio coram Collegio Regali Medicorum Londinensium, ex instituto
Harveiano habita festo divi Lucae, anno Domini M.DCC.XXIX ... / [Peirce
Dod].**

Contributors

Dod, Peirce, 1683-1754.
Royal College of Physicians of London.

Publication/Creation

Londini : Impensis Bernardi Lintot, [1729?]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/cmcv87kr>

License and attribution


This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>
























Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30412298>





ORATIO
CORAM
COLLEGIO REGALI^{1½}
Medicorum Londinensium,
EX
INSTITUTO HARVEIANO,
HABITA
Festo Divi LUCÆ,
Anno Domini M.DCC.XXIX.
A P E I R C I O D O D, ejusdem Collegii Socio, &
Nosocomii Sancti Bartholomæi Medico.



LONGINI:
Impensis BERNARDI LINTOT, in Vico dicto
Fleet-street.



EN S I G N I S S I M O

Dom. *Hans Sloane Baronett.*

P R A E S I D I,

SOCIISQUE ORNATISSIMIS

Collegii Medicorum Londinens.

ORATIUNCULAM HANC

Ipsorum Jussu Editam,

Eâ quâ par est Observantiâ,

D. D. D.

PEIRCIUS DOD.





ORATIO

Die xviii Octobris, A.D. 1729.



UM mihi, nescio quo fato, incumbat ut orationem hanc apud Vos habeam, tūm in laudem Artis nostræ, omnium quotquot sunt præstantissimæ, tūm in memoriam & honorem eorum qui & de illâ, & de Societate hâc nostrâ benè meruerunt; quām arduam & perdifficilem aggressus sum provinciam, alii è vobis, *Auditores spectatissimi*, experiundo didicistis, alii conjecturâ facile affequamini. Sistere se, atque suscipere se unum esse, de solenni aliquâ re audiendum, est magnum quoddam atque anceps ausum; præsertim cum nihil sit quod de illâ re dici possit quod non anteà, & ornatissimè, & copiosissimè, dictum fu-

B

erit,

erit, & nemo ferè sit quin acutiùs, atque acri-
ùs vitia in dicente, quam recta plerumque vi-
deat. Hanc itaque provinciam, utùt aliis for-
san optabilem, & certè honore plenam, mihi
fanè formidabilem, deprecatus fueram, (id quod
ab aliis Collegarum dignissimorum, saniore pla-
nè consilio, factum vidi) nisi quod nolle me
subtrahere à quovis munere præstanto quod mi-
hi demandatum sit; & Tu, *Vir insignissime*,
qui tantâ Tui famâ, & nostrûm omnium com-
modo & honore Nobis nostrisque rebus dignis-
simè præses, me non inidoneum judicasti qui
Harvæi magni instituto, magno hoc in conven-
tu, aliquatenùs satisfacerem.

Quâ ratione autem munus hoc absolvere eni-
tar, & vestræ de me conceptæ opinioni, quan-
tum in me est, respondere, paucis accipite.

Primò itaque quædam proponam de Medi-
cinâ in genere, deque iis quibus non modò ori-
ginem & fundamenta, sed & omne id quicquid
ferè est Artis nostræ saluberrimæ, debemus: De-
indè pauca adjiciam de variis illius ætatibus
atque progressibus, & de vario illius statu usque
ad resuscitatas Literas; & denique, quod est
præcipuum hujus instituti, ostendere coner-
qui-

quibus potissimum viris pristinum illud decus atque lumen Arti medicæ apud nos restitutum est, quantumque in hoc laudis genere *Nostratibus* jure merito tribuendum.

Nunquam quidem non fuit Medicina, siquidem, ut rectè *Celsus* *, vel imperitissimæ gentes herbas aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt: Neque enim sylvæ horridiorque naturæ facies medicinis carent, sapientissimo orbis conditore & sacrâ illâ rerum omnium naturâ nusquam non disponentibus remedia in hominum usum. Et cum itâ comparati simus, ut multiplex ægritudinum cohors semper terris incubuit, ita procul omni dubio medelæ necessitas ab omni ævo hominum ingenia exercuit. Quæ autem nunc conclusa sunt artibus, omnia quondam, hominum ritu sylvis degentium, dispersa latè ac dissipata, fuitque Medicina paucarum tantum herbarum scientia, &, perindè atque aliæ artes, rudis diu ac inculta.

Quænam gentes illam primùm excoluerunt admodum incertum; constat tamen eam apud

* In Præfatione ad Libr. Primum.

antiquiores quasque, & *Ægyptios* præsertim, plurimo in honore fuisse, & illos qui eam cum aliquâ laude alicubi exercuerint, pro more istorum temporum, in Deorum numerum fuisse relatos. *Græci* autem, ut artibus & disciplinis quibuscunque ingenuis, præ aliis, operam naverunt, ita Medicinæ studia, non solum aliquantò magis, * ut apud eundem *Celsum*, sed & magis abundè apud illos, quàm in cæteris nationibus viguerunt.

Hujus rei illustre exemplum habemus in *Hippocrate*, † qui, Scholæ *Coæ* & *Graiæ gentis* decus, sparsa ista undequaque colligens, ex parvis illis & vulgaribus initiis Artem medicam ferè totam adinvenit, feliciter exercuit, & in scientiam extulit, tūm amplissimam, tūm fru-
ctuosissimam. Vir, divinâ planè indole & fa-
gacitate

* Ibidem.

† Αὗτος Σείαφύσει κέχρηται, καὶ εκ μικρῶν καὶ ἴδιωτικῶν, σίσ μεγάλα καὶ τεχνικὰ προσήγαγε τὴν ἵππρικὴν--τοσούτον ὑπερβεβηκώς τῇ τῆς ψυχῆς εὐφυΐᾳ τοὺς προγόνους, ἵστορ δι-
ενήνοχεν αὐτῶν, καὶ τῇ τῆς τεχνης ἀρετῇ--πολλὴν γῆν καὶ θαλατῆν διασπαρών πανταχοῦ, ὥσπερ ὁ Τριπόλεμος τα-
τῆς Δίμητρος σπέρματα, τὰ τὰ Ἀσκλήπιου ονθήματα.
Pæti regis Epistola ad Artaxerxem magnum, inter Epistolæ,
Sect. 8. Oper. Hippocratis.

gacitate plusquam humanâ ; ingenii dexteritate tanto majores superans, quanto eos etiam in Artis excellentiâ : *Æsculapii* auxilia, non secus ac *Triptolemus* dona *Cereris*, per magnos terræ & maris tractus vivus dispergens, & quo ista posteris quoque, in omne ævum, beneficio effent, universam rei Medicæ rationem literis signans, omnium quotquot sequuti sunt Medicorum facile princeps & parens unicus.

Quantum autem venerabilis ille Vir, aliqui qui illum sequuti sunt, præclara istius gentis ingenia, hâc in re præstiterunt, abundè notum : Vobis præsertim, *Socii doctissimi*, in illorum scriptis versatissimi, quibusque compertum est quousq; processerunt in Medicinâ stabiliendâ. Et sanè, quicunque observaverit ut veteres illi Medicinæ Antistites infinitas morborum series accuratè descripserunt, ut illorum historias, signorumque discrimen, sigillatim illustrarunt, ut eventum periodosque exactissimè designarunt, & omnia demùm quæ ad illos vel internoscendos, vel judicandos, vel curandos pertinent, & diligenter investigarunt, & diuicidè enarrarunt, næ is probè intelliget, quam magnam Therapeuticæ solertiæ partem cuncta gens.

gens medentium *Græcis* debeat, quòdque *Græcæ* linguae cognitio à peritiâ Medicinæ nunquam sit sejungenda.

Græcos tandem superabant *Romani*, armis tam non artibus; nam si unum aut alterum excipiatis, quotusquisque est inter illos qui ullius artis aut disciplinæ studio tenetur præter Poësin & Oratoriam? Non mirum igitur si illorum temporibus minus augusta & parùm splendida appareat rerum nostrarum facies, & si scientia Medica, fusè adeo à *Græcis* tractata, vix ullum acceperit lumen à *Latinis* literis. *Celsus* unicum fortasse excipiamus, fidelem illum *Hippocratis* interpretem, qui Medicinam, quam ab illo & *Asclepiade*, aliisque *Græcorum* plurimis acceperat, in compendium rededit, & non modò propter Artis scientiam, sed propter scribendi venustatem meritissimò æstimatur.

Qualiscunque verò fuerit rei Medicæ fors apud gentem illam, totius terrarum dominam, cùm pernicioſo Barbarorum impetu labefactari cœperit istud imperium, eximia quæque Literarum monumenta unà considerunt, jacuitque Medicina, impio tumultu vastata, ferāque diluvie tantùm non deleta.

In hoc rerum statu cum diu permanissent Literæ, inciderunt tandem in manus *Arabum*, gentis bellicosæ & asperæ, sed simul cum armis literarum studia agitantium, & per annos dehinc quam plurimos occupatam tenentium Medicinam, sive sequaces omnes ferè habentium : Quali autem emolumento, vel Literis, vel humano generi, ex hoc liquet, quod simul atque aditus patuit ad antiquiores Literas, corruerat statim quicquid exædificaverant leviculi isti homines, exoluitque illorum doctrina, nulli solido fundamento innixa, & doctissimorum hominum judicio, non tam ad lucem dandam rebus obscuris, quam ad obducendum tenebras rebus clarissimis, accommodata.

Lætius hinc se exhibent res nostræ, & purior æther campos nostros vestit, cum, renascentibus Literis, antiqui doctrinæ fontes cœperint recludi ; utque erant ingenia hominum nunquam magis propensa ad omne genus Literarum, sic nullâ in re magis elaboratum est quam ad restituendam priscam de re Medicâ sapientiam, veramque adeò Medicinæ dignitatem.

Hâc in re cum plures operam suam colloca-
runt, tûm quinam nobis prius potiusvè comme-
morandi

morandi sunt quam ii sub quorum auspiciis
præclara illorum conamina, tūm orbi, tunc
temporis, prosperimè innotuerunt, tūm con-
sultissimè provisum est ut illa ad posteros etiam
derivarentur?

Et primus quidem inter hos, me judice, re-
censeri debet *Magnificus* ille *Princeps*, sub cuius
imperio, & prisca illa Scientia, & Literæ huma-
niores, & sacrofancta nostra Fides reviviscere ac
reformari incœperunt. Præclarus namque iste
Rex, ut multa egregia pro re publica, domi
forisque sæpius præsttit, ita, perinde atque pru-
dentissimi quique sui ordinis, secum reputans
quòd nihil esset vitâ ac salute hominum, vel si-
bi charius, vel reipublicæ utilius, & quòd mul-
tarum rerum cognitio & morum probitas, non
vulgaris requisitæ sint ad eos qui exercent Me-
dicinam, regii sui officii munus esse arbitratus est
prospicere, ut nec quisque qui vel à populo,
vel à seipso Medici nomine appellatur, nec rap-
tim & modicè eruditi, nec improbi aliqui homi-
nes, quæstus potius & avaritiæ causâ, quam
bonæ ullius conscientiæ aut Literarum fiduciâ
Medicinam profitentes, Medicinæ praxin, non
sine multorum pernicie, aggredierentur ; ideoque
in

in unum coire voluit quotquot cum aliquâ honestate studia illa salutaria secuti sunt, & Collegium hoc instituit doctorum & proborum viorum*, qui improborum istorum conatibus obſiſterent, & eorum inficitiam ac temeritatem, tam exemplo & gravitate suâ reprimere, quam per leges regni, & per constitutiones ab illis edendas, punire valeant & coercere. Quid à celeberrimis antecessoribus nostris præstitum fuit ut utilissimo huic instituto satisfactum sit Annales nostri abundè teſtantur, nec si minus proſperi fuerint conatus magis nuperi, id vitio culpævè Collegii ullatenus imputandum: Illiberaliter nos tractant ii ad quos appellare nobis ſæpius nimium neceſſe eſt, aliterque omnino quam priſcis illis ſæculis, indoctioribus forſan, ſed magis ſapientibus, & utilitati publicæ melius confulentibus.

Honores regi iſti proximos nemo æquiūs occupet quam *Is* qui in ſummo gratiæ & dignitatis gradu apud illum collocatus, & opibus ac honoribus ultra omnes ſui temporis ſubditos auctus, gratiam illam omnem quâ valebat, & ſtudia om-

* Vide Chart. Regiam, pro conſtituend. Collegio.

nia destinabat, ut animum pium, bonoque Literarum præcipue consulentem testaretur? Vir immensi animi; ad maxima quæque natus; rerum prudentiâ & eloquentiâ instructus, & quo potissimum faute ac suafore quicquid factum est pro condendâ & stabiliendâ hâc republicâ nostrâ fuit impetratum. Neque hic passus est consilia sua subsistere Vir inlytissimus; cognoscens quippe quod sana eruditio firmissimum sit artium præsidium, Academiæ *Oxonensis* patrocinium suscepit; ad *Græcarum* perindè atque aliarum Literarum studium eos excitabat; omnibus illorum rebus, maximè quoad rem literariam & exercitia scholastica, vigilantissimè propiciebat; Lectiones quamplures publicas ibidem instituebat, & adeò exornatam, adeoque in omni disciplinarum genere florentem indies reddidit *Oxoniam*, (Loquor ex Annalibus nostræ Univeritatis) ut exteri quique in summam admirationem Academiæ istius traherentur, & Nostrates dinceps occasionem non habeant regiones exteris disciplinæ gratiâ petendi. Literæ demum quæcunque nunquam magis nitescentes, aut majoribus incrementis auctæ, quàm sub auspiciis *Magni istius Cardinalis*, & Academia nullo

nullo ævo fortita patronum, vel ad promoven-
das Literas, vel ad rem suam ampliandam, vel ad
privilegia istius tutanda, studio & affectu pro-
pensiorem, adeò ut fatum illius præmaturum,
contra quod summorum Aulicorum aliquando,
inter maximas calamitates habeatur.

Linacrum post hos memorem, *Caiumne?* Il-
lum, tantum non conditorem, hunc, conserva-
torem & vindicem, hujuscè nostræ communita-
tis, quique primi inter Nostrates ad perlegendos
veteres viam nobis aperuerunt, & artem Medi-
cam, jacentem tūm & penè intermortuam, non
solùm resuscitaverunt, sed civitatem hanc pro
illâ impetraverunt, eamque & legibus atque in-
stitutis optimis roborarunt, & opibus atque ho-
noribus insignissimis ampliarunt: Uterque sanè
omnigenâ literaturâ cumulatissimè instructus, &
de omni literarum genere vicissim optimè meri-
tus, ac dignissimus certè omnibus elogiis, quo-
quot solenni hac, aliavè quavis celebritate, per-
penduntur.

Tempus me deficeret si singulos commemo-
rare velim qui honestâ æmulatione accensi, vel
arti nostræ promovendæ, vel rebus nostris ampli-
ficandis, studia sua collocarunt; si, *Caldwallum,*

& prænobilem socium operis, *Baron. Lumleium*, qui ut res Chirurgicæ intra hos parietes luculentissimè explicarentur, conjunctâ suâ munificentiâ, effecerunt ; si, *Gulstonum*, qui ut idem fieret circa res Anatomicas & viscerum structuram ac morborum sedes, beneficè curavit ; si, *Hammæum*, postulante temporum iniquitate, & rerum nostrarum calamitate, multiplici liberalitate insignem ; si, *Marchionem Durnovariæ*, qui non dignatus est inter nos recenserri, rebusque nostris interessere, & centum libras in libros emendos, & deinde eximiam suam Bibliothecam Collegio dicavit ; si, *Willisium* ; si, *Lowerum* ; si, *Whartonum* ; si, *Sydenhamum*, aliosque quamplurimos, omnium ubicunque terrarum Medicos celeberrimos, qui *Spartam* hanc, & suam, & nostram, scriptis suis, affatim cohonestarunt ; si, *Harveium* demùm, maximum virum, & Collegii hujus Gentisque nostræ summum decus ac ornamentum ; cui debemus inventa illa, nunquam moritura, *de Circulatione Sanguinis*, & *de Generatione Animalium* ; cuique, inter quamplurima alia, non sapienter minùs quàm magnificè in nos à se collata, annuam hanc illustrium antecessorum

tecessorum nostrorum commemorationem, & festivitatem subsequuturam.

Sed & cur ego vetera ista conquererem, cum nobis liceat uti magis recentibus exemplis & non ita pridem vivis? virorum nempè in Arte nostrâ præstantissimorum, quiue meritis suis, & nos, & alios sui memores effecerunt.

Ecquis enim majori eruditionis aut honestatis cujuilibet laude societatem hanc unquam exornavit, quam *Gulielmus Gibbons?* Præsignis ille senex; in Artis professione candidus & apertus; in studiis indefessus; literarum & litteratorum, & suorum *Oxoniensium* amantissimus; in praxi Pietatis & Medicinæ simul exercitatiſſimus; erga pauperes maximè beneficuſ; in toto vitæ cursu verè Christianus; moribus antiquis, hoc eſt, optimis, & quo vix ſupriorem, inter eos quibuscum inclaruit, repertum iri confido, pauciflmos certè pares.

Proximus ſeſe offert, Vir & naturâ admirabili, & ingenio peracri, & doctrinâ eximiâ, & Genio loci, in quo enutritus eſt, abundans, *Johannes Freind, Iapis* ille alter,

Cui suas artes, sua dona lætus,

Et

*Et tyram, & venæ salientis ietum
Scire concessit, & celerem medendi
Delius usum.*

Hinc, non in suâ modò Arte, sed omni politiore elegantiâ exultus, & cum optimis doctissimisque quibusque versatus, nil mirum si in re Medicâ scriptis exornandâ non minus accuratus fuerit, quàm in eâ exercendâ felix, siue nihil prius habuerit quàm ut suus honos, tûm Collegio, tûm utilissimæ nostræ scientiæ constaret, donec in principem Medicorum fermè evectus, perpetuis studiis, laboribus, vigiliis, itineribus exercitus, ex immodicâ fatigatione, (ut notissimis in unaquaque professione sàpè accidit) morbo correptus, triste sui desiderium reliquit.

Nequè verò hic prætermittendus est *Richardus Hale*, qui quanquam primo intuitu, ut ii plerumque qui maniacorum curam aliquamdiu habent, quadantenùs asper, non illo tamen quicquam benignior, amicior, doctior, aut melior: Eâ quippe comitate & integritate ut religio sibi fuerit alios in errorem ducere, eâ etiam sapientiâ atque eruditione quæ sibi ab aliquo imponi nullatenùs

latenūs paterentur ; singulari amore in viros suā Professionis ; multi in illā nominis, eamque adaugere & exornare omni ratione contendens ; Academicorum honorem atque commodum præcipue promovens ; dignitati & utilitati hujus Collegii animitūs prospiciens, & legatis quingentis librīs pro coemendā supellectile literariā, illud munificè ditans ; tam probus denique tantusque, tam in arte suā, quam cæteris vitæ muniis, ut illius lethum fuerit, juxta ac illud *L. Crassi* apud Ciceronem*, acerbūm suis, luctuosum patriæ, grave bonis omnibus.

Hisce præclaris exemplis excitati, illorum vestigiis, Collegæ ornatissimi, feliciter infistatis.— Studio igitur in quo estis, incumbite, & in re Medicā promovendā omnibus nervis elaborate. Tribuatis huic quantum temporis poteritis ; poteritis autem, pro maximā parte, quantum velitis ; vix est quisquam ē nobis quin illi interdùm, ex insperato, sat suppetit otii. Quantò plus præstamus in eruditione, tantò magis aliquandò existimabimur : Imperitia autem, quemadmodùm annotavit
parens,

* *Libr. 3^{ta}. De Oratore.*

parens noster *, malus thesaurus, malæque opes
reconditæ pro iis qui eam possident; timiditatis
enim & audaciæ nutrix est, quarum hæc Artis
ignorationem, illa impotentiam arguit. Artem
nostram *Apollineam* omnimodè honestate; dig-
nitatem vestram omni studio tuemini; honori
& utilitati Collegii in omnibus rebus consulite;
Matris communis, h. e. *Academiæ utriusque*, a-
morem servate, & ita tandem, quantum vos cu-
ræ & beneficentiæ majorum nostrorum debetis,
tantum vobis, serò precor, debituri sunt po-
steri.

* Hippocrates. Pag. 2.

Ἡ ἡ αἴτειρὶν, κακὸς θησαυρὸς, χὴ κακὸν κευτήλιται τοῖσιν
ἔχουσιν αὐτὲλιν δειλίν τε κὴ θρασύτητος πιθήν. δειλὶν μὴν
γάρ αἰδηγαμίν σεμαίνει, θρασύτης δὲ, αἰτεχνίν.



